

## DISTINCTIO III.

*Quales facti fuerint Angeli, & quod quatuor eis attributa sunt in ipso initio suae conditionis.*

**E**cce ostensum est, ubi fuerunt Angeli mox ut creati sunt; nunc consequens est investigare quales facti fuerunt in ipso primordio suae conditionis. Et quatuor quidem Angelis videntur esse attributa in initio subsistentiae suae, scilicet essentia simplex, idest indivisibilis, & immaterialis; & discretio personalis; & per rationem naturaliter insitam intelligentia, memoria, & voluntas, sive dilectio; liberum quoque arbitrium, idest libera inclinanda voluntatis sive ad bonum, sive ad malum facultas: poterat enim per liberum arbitrium sine violentia, & coactione ad utrumlibet propria voluntate deflecti.

*An omnes fuerunt aequales Angeli in tribus, scilicet in essentia, in sapientia, in libertate arbitrii.*

**H**ic considerandum est, utrum in substantia spirituali, & sapientia rationali, idest intellectu, & libertate arbitrii, quae omnibus inerant, omnes aequales fuerint; ut sit prima consideratio de substantia, secunda de forma, tertia de potestate. Persona quippe substantia est, sapientia forma, arbitrium potestas, & ad substantiam quidem pertinet naturae subtilitas, ad formam vero intelligentiae perspicacitas, & ad potestatem voluntatis rationalis habitas.

*Hic dicit, quod differentes fuerunt in illis.*

**I**llae igitur essentiae rationales, quae personae erant, & spiritus erant, naturaque simplices, ac vitae immortales, differentem essentiae tenuitatem, & differentem sapientiae perspicacitatem, atque differentem (1) arbitrii libertatem, & habitatem recte habuisse intelliguntur; sicut in corporibus nonnulla differentia est secundum essentiam, ac formam, & pondus: quaedam enim aliis meliorem, & digniorem essentiam, & formam habent; & alia aliis leviora atque agilia sunt. Ad hunc ergo modum credendum est illas spirituales naturas convenientes suae puritati, & excellentiae & in essentia, & in forma, & in facultate differentias accepisse in exordio suae conditionis, quibus alii superiores, alii inferiores Dei sapientia constituerentur, aliis majora, aliis minora dona praestantur; ut qui tunc per naturalia bona aliis excellerebant, ipsi etiam post per munera gratiae eidem praesent. Qui enim natura magis subtiles, & sapientia amplius perspicaces creati sunt, hi etiam maioribus gratiae muneribus praediti sunt, & dignitate excellentiores aliis constituti; qui vero natura minus subtiles, & sapientia minus perspicaces conditi sunt, minorae gratiae dona habuerunt, inferioresque constituti sunt sapientia Dei, aequo moderamine cuncta ordinantis.

*Secundum quid consideranda est differentia facultatis arbitrii, quod nec minor tenuitas naturae infirmitatem, nec minor cognitio sapientiae ignorantiam, nec inferior libertas necessitatem inducit.*

**I**n ipsa facultate arbitrii differentia animadvertenda est, secundum differentem naturae virtutem, & differentem cognitionis, & intelligentiae vim. Et sicut differens vigor, & subtilitas naturae infirmitatem non adducit, minorque cognitio sapientiae ignorantiam non ingerit; sic libertas inferior nullam arbitrio necessitatis voluntatem imponit.

*Quae communia, & aequalia habuerunt Angeli.*

(2) **E**T sicut in praedictis Angeli differebant, ita & quaedam communia, & aequalia habebant. Quod spiritus erant, quod indissolubiles, & immortales erant, commune omnibus, & aequale erat. In subtilitate vero essentiae, & intelligentiae sapientiae, & libertate voluntatis differentes erant. Has discretiones intelligibiles invisibilium naturarum, ille solus comprehendere potuit, & ponderare, qui cuncta fecit in pondere, numero, & mensura, Sap. xi.

*An boni, vel mali, iusti, vel iniusti creati sunt Angeli; & an aliqua mora fuerit inter creationem, & lapsum.*

**I**llud quoque investigatione dignum videtur, quod & a pluribus quaeri solet, utrum boni, vel mali, iusti, vel iniusti creati sunt Angeli; & an aliqua mora fuerit inter creationem, & lapsum, vel sine mora in ipso creationis exordio ceciderunt.

*Opinio quorundam dicentium, Angelos in malitia creatos, & sine omni mora corruisse.*

**P**utaverunt enim quidam Angelos qui ceciderunt, creatos esse malos, & non libero arbitrio in malitiam declinasse, sed in malitia a Deo factos esse; nec aliquam fuisse moram inter creationem & lapsum, sed ab initio apostatasse; alios vero creatos fuisse plene beatos: qui opinionem suam muniant auctoritate Augustini super Genesim (Lib. XI. cap. xvi.) ita dicentis: „Non frustra putari potest, ab initio temporis diabolum cecidisse, nec cum sanctis Angelis pacatum aliquando vixisse, & beatum, sed mox apostatasse. Unde Dominus ait (Joan. vi. 44.) Ille homicida erat ab initio; & in veritate non stetit, ut intelligamus, quia in veritate non stetit ex quo creatus est: qui staret, si stare voluisset.“ Idem in eodem (Lib. cap. xix.) „Non frustra,“ inquit, „putandum est ab ipso initio temporis, vel conditionis suae „dia-

(1) Al. arbitrii habitatem. (2) Al. Ar.

## DISTINCTIO III.

„diabolum cecidisse, & nunquam in veritate stetisse. Unde quidam in hanc malitiam libero arbitrio non esse flexum, sed in hac, quamvis a Deo, putant esse creatum, secundum illud beati Job (cap. xl. 14.) „Hoc (3) est, inquit, initium figmenti Dei, quod fecit Deus, ut illudatur ei ab Angelis ejus: & Propheta ait (Psalm. ciii. 26.) Draco iste (4) quem formavit ad illudendum ei: tamquam primo factus sit „malus, & invidus diabolus, non voluntate depravatus.“ His, aliisque testimoniis utuntur qui dicunt, Angelos qui ceciderunt, creatos fuisse malos, & sine mora corruisse. Eos vero qui persisterunt, perfectos, & beatos esse creatos, astruunt auctoritate Augustini, qui super Genesim (Lib. I. cap. 1. & passim) dicit, per celum significari creaturam spirituales, quae ab exordio quo facta est, & perfecta, & beata est semper.

*Aliorum sententia probabilis, qui dicunt, omnes Angelos creatos esse bonos, & aliquam fuisse morulam inter creationem & casum.*

**A**liis autem videtur omnes Angelos creatos esse bonos, & ipso creationis primordio bonos extitisse, idest sine vitio, justosque fuisse, idest innocentes, sed non justos, idest virtutum exercitium habentes. Nondum enim praediti erant virtutibus, quae stantibus appositae fuerunt in confirmatione per gratiam. Aliis vero per liberum arbitrium superbientibus, & ideo cadentibus, aliquam etiam fuisse morulam, ajunt, inter creationem & lapsum, vel confirmationem: & in illa brevitate temporis omnes boni erant, non quidem per usum liberi arbitrii, sed per creationis beneficium: & tales erant qui stare poterant, idest non cadere per bona creationis, & cadere per liberum arbitrium. Poterant enim peccare, & non peccare; sed non poterant proficere ad meritum vitae, nisi gratia superadderetur: quae addita est quibusdam in confirmatione. Et ad hoc confirmandum utuntur testimonio Augustini, qui super Genesim (Lib. I. cap. 1.) dicit, angelicam naturam primo informiter creatam, & celum dictam; postea formatam, & lucem appellatam, quando ad Creatorem est conversa, perfecta dilectione ei inhaerens. Unde prius dictum est; „In principio creavit Deus caelum & terram:“ & postea subditum: „Dixit Deus, Fiat lux; & facta est lux:“ quia primo agitur de creatione spiritualis naturae informis, postea de formatione ejusdem. Ratio quoque obviat illis qui dicunt Angelos creatos fuisse malos. Non enim potuit Creator optimus, auctor mali esse: ideo totum bonum erat quod ex ipso illis erat, & totum bonum erat, quoniam ex ipso totum erat. Hoc modo probatur, quod boni erant omnes Angeli quando primo facti sunt, sed ea bonitate quam natura incipiens acceperat.

*Probationem Augustini contra illos inducit qui dicunt, Angelos factos malos, & verba etiam Job determinat, quae illi pro se inducebant.*

**I**deoque Augustinus exterminans opinionem eorum, qui Angelos creatos fuisse malos putant, auctoritate, & ratione probat bonos fuisse creatos; & verba praemissa beati Job, quae illi pro se inducebant, quomodo sint intelligenda, aperit, ita dicens super Genesim (Lib. XI. cap. xxi. & xxii.) „Omnia, inquit, fecit Deus valde bona. Naturam igitur Angelorum bonam fecit. Et quia injustum est ut nullo merito hoc in aliquo Deus damnet quod creavit; non naturam, sed voluntatem malam puniendam esse credendum est. Nec ejus naturam esse significatam cum dicitur: Hoc est initium figmenti Dei; sed corpus aereum, quod tali voluntati aptavit Deus; vel ipsam ordinationem Dei, in qua eum etiam invitum fecit utilem bonis; vel ipsius Angeli facturam: quia etsi Deus praesciret voluntate malum futurum, fecit tamen eum, providens quanta de illo sua bonitate esset facturum. Figmentum ergo Dei dicitur: quia cum sciret eum Deus voluntate malum futurum, ut bonis noceret, creavit tamen illum, ut de illo bonis prodesset. Hoc autem fecit, ut illudatur ei. Illudatur enim ei cum sanctis proficit tentatio ejus; sicut & mali homines, quos Deus malos futuros praevidens, creavit tamen ad sanctorum utilitatem, illuduntur cum praestatur sanctis eorum tentatione profectus. Sed ipse (5) dicitur initium: quia praecedit antiquitate, & principatu malitiae. Haec autem illusio fit Angelis malis, & hominibus malis per Angelos (6) sanctos: quia subdit eis Angelos malos & homines malos, ut non quantum nituntur, sed quantum sinuntur, possint (7).“ Ecce aperte ostendit, qualiter praedicta verba Job intelligenda sint, & angelicam naturam bonam creatam esse assertit.

*Quomodo intelligenda sint verba Domini praemissa disserit, evidenter tradens, Angelos esse creatos bonos, & post creationem cecidisse.*

**D**einde qualiter verba Domini, quae supra posuit, accipienda sint, Augustinus aperit, ubi etiam sua, quae praedixit, verba determinat, evidenter docens, Angelos fuisse creatos bonos, & post creationem interposita aliqua morula cecidisse, ita inquit: „Quod putatur diabolus nunquam in veritate stetisse, & nunquam beatam vitam duxisse, sed ab initio cecidisse: non sic accipiendum est, ut malus a bono Deo creatus esse putetur: quia ab initio non cecidisse diceretur. Non enim cecidit, si talis, idest malus, factus est. A quo enim caderet? Factus ergo prius, statim a veritate se avertit, propria potestate delectatus; beataque vitae dulcedinem non gustavit, quam non utique acceptam (8) fastidivit, (9) sed nolendo amisit. Sui ergo casus praescius esse non potuit: quia sapientia fructus est pietatis. Continuo autem ut factus est, cecidit, non ab eo quod accepit, sed ab eo quod acciperet, si Deo subdi voluisset.“ Ecce hic aperte declarat, Angelos bonos esse creatos, & post creationem cecidisse: & fuit ibi aliqua

(3) Juxta Septuaginta, ut notat Nicolai, ubi Vulgata legit: „Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus. Huic montes herbas ferunt: omnes bestiae agri ludent ibi.“ (4) Vulgata: quem formasti. (5) Al. est initium. (6) Al. malos. (7) Al. additur nocere. (8) Al. additur non. (9) Al. sed nolendo accipere remisit.

qua morula, licet brevissima. Quod Origenes confirmat super Ezechielem, dicens: „ Serpens hostis est, contrarius veritati; non tamen à principio; neque statim super peccatum, & ventrem suum ambulavit. Sic aut Adam, & Eva non statim peccaverunt; ita & serpens aliquando fuit non serpens, cum in paradiso, deliciarum moraretur. Deus enim malitiam non fecit. „ Ecce hic aperte dicit, post creationem, interposita morula, cecidisse. Ideoque illa verba sic accipienda videntur, „ Homicida erat ab initio, „ vel „ mendax, „ idest statim post initium, quando sibi Dei æqualitatem promisit, & seipsum occidit, qui homo dicitur in Evangelio. Nec in veritate (10) stetit, quia in ea non fuit; sed ab initio temporis, idest statim post initium temporis apostatavit. Potest etiam & sic accipi illud, „ Ab initio homicida fuit, „ vel „ mendax, „ idest ex quo homo fuit conditus, quem per invidiam in mortem præcipitavit, & fallaciter seduxit. Ex prædictis igitur liquet omnes Angelos bonos esse creatos, & post creationem quosdam cecidisse à bono quod habuissent, si perstitissent.

*Quod triplex fuit in Angelis sapientia ante casum, vel confirmationem.*

**H**IC quæri solet, quam sapientiam habuerint ante casum, vel confirmationem. Erat in eis naturalis cognitio triplex, qua sciebant quod facti erant, & à quo facti erant, & cum quo facti erant. Et habebant aliquam boni & mali notitiam, intelligentes quid appetendum, vel respuendum illis foret.

*An aliquam Dei habuerint dilectionem, vel sui invicem.*

**S**olet etiam quæri, utrum aliquam Dei, vel sui invicem dilectionem habuerint. Ad quod dici potest, quoniam naturalem habebant dilectionem, ut memoriam, intellectum, & ingenium, qua Deum, & se aliquatenus diligebant; per quam tamen non merebantur.

#### DIVISIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

**O**stenso quando, & ubi Angeli creati sunt, hic inquiruntur, quales effecti sunt: & dividitur in tres partes. In prima inquiruntur quales effecti sunt quantum ad perfectionem naturæ; in secunda quales quantum ad gratiam, vel culpam, ibi: *Illud quoque investigatione dignum videtur; in tertia quales quantum ad gloriam, vel miseriam, iv. dist. ibi: Post hæc videndum est, utrum perfectos, & beatos creavit Deus Angelos, an miseros, & imperfectos.* Prima in duas. In prima ostendit quot fuerunt naturales perfectiones Angelis in principio creationis collatae; secundo ostendit qualiter ad invicem secundum istas operationes comparentur, ibi: *Hic considerandum est.* Et circa hoc duo facit. Primo ostendit in quibus erant inæquales; secundo ostendit in quibus erant æquales, ibi: (11) *Et sicut in prædictis Angeli differabant, ita & quedam communia, & æqualia habebant.* Circa primum duo facit. Primo ostendit eos fuisse inæquales in perfectionibus naturalibus; secundo ostendit quod secundum gradum naturalium, fuit etiam in eis gradus gratuitorum donorum, ibi: *Ad hunc ergo modum credendum est illas spirituales naturas, convenientes suæ puritati, & excellentiæ... differentias accepisse.*

#### QUÆSTIO I.

**H**IC quærentur sex.

Primo. Utrum Angeli sint adeo simplices, quod non sint compositi ex materia, & forma.

Secundo. Utrum sit in eis personalitas.

Tertio. Utrum sit in eis aliquis numerus, & quis est iste.

Quarto. Utrum omnes sint unius speciei.

Quinto. (12) Si non, utrum sint unius generis.

Sexto. De differentia Angeli, & animæ rationalis.

#### ARTICULUS I.

*Utrum Angelus sit compositus ex materia & forma.*

*I. P. quæst. I. art. 2. & quæst. dist. de spirit. creat. art. 1. & II. cont. Gent. cap. I.*

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod Angelus sit compositus ex materia, & forma. Quidquid enim est in genere aliquo, participat rationem illius generis. Sed ratio substantiæ, secundum quod est prædicamentum, est quod sit composita ex materia, & forma. Boetius enim dicit in Comment. Prædicamentorum (in expos. prædic. substantiæ) quod Aristoteles, relicti extremis, scilicet materia, & forma, agit de medio: idest de composito, cum de substantia determinat. Cum ergo Angelus sit in prædicamento substantiæ, videtur quod ex materia, & forma componatur.

2. Præterea. Quæcumque sunt in aliquo genere uno, communicant uniformiter principia illius generis. Sed principia generis substantiæ sunt materia, & forma. Cum ergo corpora quæ sunt in genere substantiæ, communicent ista principia, ita quod ex eis componuntur, videtur quod etiam Angelus, qui est in eodem genere, ex materia, & forma componatur.

3. Præterea. Ubicumque inveniuntur proprietates materiæ, invenitur materia; cum proprietates materiæ rei non sint à re separatæ. Sed recipere, substatere, & huiusmodi sunt proprietates materiæ. Ergo cum inveniuntur in Angelo, videtur quod Angelus sit ex materia compositus.

4. Præterea. Omne quod est, vel est tantum actus, vel tantum potentia, vel utrumque. Sed Angelus non est actus purus, quia sic non differret à Deo; nec est potentia pura, quia sic non differret à materia prima: & præterea nullam operationem haberet. Ergo est compositus ex actu, & potentia: & hoc est componi ex materia, & forma: ergo &c.

5. Præterea. In Libro de Causis (propos. iv.) dicitur, quod omne creatum compositum est ex finito, & infinito. Sed Angelus est ens creatum. Ergo

(10) Nicolai non stetit. (11) Al. Et insint prædictis, &c. (12) Al. deest Si non.

go ex infinito, quod ex materia, compositus est. 6. Item dicit Boetius in Lib. de Trinit. (cap. 111.) quod forma simplex subjectum esse non potest. Sed Angelus est subjectum gratiæ. Ergo non est tantum forma, sed etiam habet materiam partem sui.

Sed contra est quod Dionysius dicit in iv. cap. de div. Nom. quod Angeli intelliguntur immateriales, & incorporeales.

Præterea. Boetius dicit in Lib. de duabus Naturis, quod omnis natura incorporeæ substantiæ nullo (1) materiæ nititur fundamento. Sed Angelus est substantia incorporea. Ergo materiam pro fundamento non habet.

#### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hanc materiam tres sunt positiones. Quidam enim dicunt, quod in omni substantia creata est materia, & quia omnium est materia una: & huius positionis auctor videtur Avicenna, qui fecit Librum fontis vitæ, quem multi sequuntur.

Secunda positio est quod materia non est in substantiis incorporeis, sed tantum est in omnibus corporibus, etiam una; & hæc est positio Avicennæ (VIII. Metaph. cap. xii.)

Tertia positio est quod corpora celestia, & elementa non communicant in materia: & hæc est positio Averrois (de substantia orbis cap. 11.) & Rabbi Moysis (Lib. I. directorii cap. lxxv.) & videtur magis dictis Aristotelis convenire; & ideo istam eligimus, quantum ad præsens pertinet, dicentes, quod quidquid sit de corporalibus, in Angelis nullo modo potest esse materia: tum ratione intellectualitatis; tum etiam ratione incorporeitatis: quod enim nullum intellectuale sit materiale, communiter à Philosophis tenetur. Unde etiam ex immaterialitate divina ejus intellectum concludunt. Et ratio satis manifesta est: quia materia prima recipit formam, non in quantum est forma simpliciter, sed in quantum est hæc: unde forma existens in materia non est intellecta nisi in potentia, quia cognosco esse formæ, in quantum est forma: & ideo si intellectus aliquis poneretur habens materiam, forma existens in eo non esset intellecta in actu; & sic per formam illam non intelligeret. Huius etiam (2) signum est, quod forma materialis non efficitur intellectualis, nisi quia à conditionibus materiæ abstrahitur; & sic efficitur perfectio intellectus proportionata sibi: unde oportet intellectum non materialem esse: & hoc non sequitur materiam ex parte alicujus formæ, cum omnis forma per abstractionem à conditionibus materiæ intelligibilis fiat; sed consequitur eam secundum se, & virtualiter, sive sit sub forma corporali, sive spiritali. Secundo incorporeitas repugnat materiæ: cum enim uni perfectibili debeat una perfectio, & in materia prima non sit ulla diversitas, oportet quod omnis forma antequam possit in ea esse ulla diversitas, nec intelligi, investigat eam totam. Sed ante corporeitatem non potest intelligi aliqua diversitas, quia diversitas præsupponit partes, quæ non possunt esse nisi præintelligatur divisibilitas, quæ consequitur quantitatem, quæ sine corporeitate non est. Unde oportet quod tota materia sit vestita forma incorporeitatis: & ideo si aliquid est incorporeum, oportet esse immateriale. Et tamen aliquam compositionem in Angelo ponimus: quæ qualis sit, sic investiganda est. In rebus ex materia, & forma compositis

In II. Sent. Tom. II. (1) Al. modo nititur. (2) Al. significatum. (3) Al. quod. (4) Nicolai omittit dictum.

tis, natura rei, quæ quidditas, vel essentia dicitur, ex conjunctione formæ ad materiam resultat, ut humanitas ex conjunctione animæ & corporis. De ratione aut quidditatis, in quantum est quidditas, non est quod sit composita, quia nunquam inveniretur simplex natura, quod ad minus in Deo falsum est; nec est de ratione ejus quod sit simplex, cum quædam inveniat composita, ut humanitas. Esse autem secundum quod dicitur res esse in actu, invenitur ad diversas naturas, vel quidditates diversimode se habere. Quædam enim natura est de cujus intellectu non est suum esse, quod patet ex hoc quod intelligi potest, cum hoc quod ignoretur an sit, sicut phænix, vel eclipsim, vel aliquid hujusmodi. Alia autem natura invenitur de cujus ratione est ipsum suum esse, immo ipsum esse est sua natura. Esse autem quod huiusmodi est, non habet esse acquisitum ab alio, quia illud quod res ex sua quidditate habet, ex se habet. Sed omne quod est, præter Deum, habet esse acquisitum ab alio. Ergo in solo Deo suum esse est sua quidditas, vel natura; in omnibus autem aliis esse est præter quidditatem, cui esse acquiritur. Sed cum quidditas quæ sequitur compositionem, dependeat ex partibus, oportet quod ipsa non sit subsistens in esse quod sibi acquiritur, sed ipsum compositum, quod suppositum dicitur: & ideo quidditas compositi non est ipsum quod est, sed est hoc quo aliquid est, ut humanitate est homo; sed quidditas simplex, cum non fundetur in aliquibus partibus, subsistit in esse quod sibi à Deo acquiritur; & ideo ipsa quidditas Angeli est quo subsistit etiam ipsum suum esse, quod est præter suam quidditatem, & est id (3) quo est; sicut motus est id quo aliquid denominatur moveri: & sic Angelus compositus est ex esse, & quod est, vel ex quo est, & quod est: & propter hoc in Lib. de Causis (propos. ix.) dicitur, quod intelligentia non est esse tantum, sicut causa prima; sed est in ea esse, & forma, quæ est quidditas sua: & quia omne quod non habet aliquid ex se, sed recipit illud ab alio, est possibile, vel in potentia respectu ejus; ideo ipsa quidditas est sicut potentia, & suum esse acquisitum est sicut actus: & ita per consequens est ibi compositio ex actu, & potentia; & si ista potentia vocetur materia, erit compositus ex materia, & forma: quamvis hoc sit omnino æquivocum (4) dictum: sapientis enim est non curare de nominibus.

Ad primum ergo dicendum est, quod de ratione substantiæ est quod subsistit quasi per se ens; & ideo forma, & materia, quæ sunt pars compositi, cum non subsistant, non sunt in prædicamento substantiæ sicut species, sed solum sicut principia. Quod autem hoc subsistens habeat quidditatem compositam, non est de ratione substantiæ: unde non oportet illud quod est in prædicamento substantiæ, habere quidditatem compositam; sed oportet quod habeat compositionem quidditatis, & esse: omne enim quod est in genere, sua quidditas non est suum esse, ut Avicenna (Metaph. tract. viii. cap. iv. ac deinceps) dicit. Et ideo non potest Deus in prædicamento substantiæ poni: unde Boetius intendit dicere, quod inter tria hæc, scilicet materiam, formam, & compositum, ex his solum compositum est in genere substantiæ sicut species; non autem intendit quod omne quod est in genere substantiæ, sit compositum ex materia, & forma.

(1) Al. modo nititur. (2) Al. significatum. (3) Al. quod. (4) Nicolai omittit dictum.